

bum Iehoua. Hic erat ordinarius modus docendi Ecclesiam. De his modis dicitur Heb. 11. *Multis vicibus & multis modis Deus olim locutus est patribus per Prophetas.* Sed ibidem additur modus alius, quo locutus nobis est Deus in Nouo Testamento, & loquitur postremis temporibus: *Primum* per filium vnigenitum in carne reuelatum: Ioh. 1. Hebr. 1. *Deinde* per apostolos immediate illuminatos & missos: *Deniq;* per pastores, doctores, ministros, quos nunc excitat, & per quos ordinarie nunc loquitur Ecclesiae ex verbo reuelato, de quibus dicit: *Qui vos audit, me audit, &c.* Haec tenus igitur Deus immediata patefactione aliquoties Abramum videtur fuisse locutus cap. 12. v. 1. & 7. cap. 13. v. 14. Nunc visione: & paulo post per somnium ei loquitur ver. 13.

NE TIMEAS ABRAM. Timuisse ac perturbatum fuisse Abramum hinc apparet, & sequens querela indicat. Vnde vero perturbatio post res praecclare & prospere gestas, vt noua consolatione egeret? Volunt aliqui, cum metuuisse ab incolis inuidentibus iam eius fortunae, virtuti, atque potentiae, & insidias eius vitae struentibus. Alii, metuuisse a regibus, quos profligarat, ne vicissim aliquando incautus ab eis opprimeretur. Alii, penituisse, quod spolia pro belli mercede non retinisset. Quae omnia incerta & indigna sunt sancto patriarcha. Ego simpliciter interpretor, visionem hanc factam ad eum consolandum in perturbatione, non ex metu periculi aut egestatis, sed ex consideratione orbitatis, quod post toties iteratas promissiones de semine, nulla dum spes aut species prolis appareret. Hanc tristitiae causam ipse non dissimulat sua querela: *Quid dabis mihi?* Concurrit forte aliquid diffidentiae aut impatientiae humanae, cui Deus medicinam vult afferre iteratione promissionis de semine. Sed vnde timor, quod dicitur ei: *Ne timeas?* Arbitror ex visione insolita, vt enim postea

A in somno, cum alterum acciperet oraculum, pauor eum incessit, ita hic visione videtur fuisse exterritus, quod & plerisque sanctis accidit, quoniam diuinae maiestatis praesentiam non fert absque horrore humana imbecillitas. Sic Daniel: *Vidi, inquit, visionem magnam hanc, neq; remansit in me vlla fortitudo.* Sic Mariae timenti angeli conspectum dicitur: *Ne timeas Maria: es enim in gratia apud Deum.* Et pastoribus: *Nolite timere: Ecce annuncio, &c.* Simili consolatione Abram visione Dei consternatus erigitur: *Ne timeas Abram: EGO CLYPEVS TVVS: MERCES TVA MVLTVA VALDE:* Ista consolatione dominus ita vult mederi occultae perturbationi Abram, vt eandem simul in lucem proliciat: Nam ea audita Abram mox in manifestam erumpit querelam: *Quid dares mihi, &c.* Sic cordis sui internum vlcus patriarcha detexit, quod curare Dominus potissimum hac visione intendit: *Ego clypeus tuus:* Metonymia abstracti pro concreto, vel metalepsi instrumenti pro causa, id est, defensor, protector tuus aduersus hostes & pericula. *Merces tua multa valde:* repete אכרי *ego sum eadem metonymia seu metalepsi, pro mercedis retributor, pietatis, virtutis & laborum tuorum amplissimus remunerator.* Promissio est omnimodae felicitatis, consistentis in duobus: depulsione malorum & affluentia bonorum. Vtrumque Deus liberaliter promittit, quasi dicat: *Facest hac tua tristitia, in me securus requiesce.* Vt enim meo auxilio hostes fudisti, nepotem liberaisti, ita porro sub clypeo meo totus pugnabis & vinces: *Et vt contentus mea benedictione nullo tuo damno contemisti aliena spolia, ita non est cur dehinc te vlla bonorum externorum cura afficiat, ex mea benedictione satis afflues, vt nihil deficiat, dum me habueris laborum mercedem.*

Docemur exemplo patriarchae in summa pro-

Yyy

ma pro-

Cap. 10. 8.